



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Turriani Societatis Iesv, Defensio Locorum S.
Scripturae. De Ecclesia Catholica, Et Eius Pastore
Episcopo Romano, B. Petri, principis Apostolorum
successore, libri duo. Aduersus nugatorias ...**

Torres, Francisco de

Coloniae Agrippinae, 1580

VD16 ZV 18729

Locus Quintus. 1. Petri 3. Sophisma Turriani. Solutio superioris
sophismatis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-33634

tes, quia ipse etiam dicenti tantum credidit. Quare, inquit, neque Roma-
 nus principatus, neque Romana Ecclesia quicquam habet com-
 mune cum signo, quod Petro ostensum est, neque verè nomen
 Ecclesiæ Catholicæ sibi tribuit. Adiunge etiam nec vspiam Ecclesia est,
 nisi in Germania, vbi est schola Lutheri; hoc enim se quitur ex ijs qua à te posita
 sunt. Cum enim fides Ecclesiæ Romanæ, vbiq; terrarum annunciata sit, & hanc
 omnes mundi Ecclesiæ excepta Germania profiteantur: si in Ecclesia Romana
 non est doctrina euangelica, perijt Ecclesia Catholica per cunctum orbem diffu-
 sa. Ecclesiam Catholicam in Germania clausit Lutherus, tanquam alter Dona-
 tus in Africa. Succurrite Protestantes ne filius Dei deturbetur de hereditate,
 quam dedit ei pater caelestis, sicut promiserat dicens, filius meus es tu, ego hodie
 genui te, postula à me & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem
 tuam terminos terræ, nisi forte totus orbis ignorat se esse Lutheranum; & Lu-
 theri synagogam promisit Deus hereditatem filio suo. hæctenus ad loci quarti
 defensionem.

Quæ ex ijs,
 quæ ab An-
 tonio posi-
 ta sunt, se-
 quatur pe-
 risse Eccle-
 siam in cun-
 cto orbe ex-
 cepta parte
 Germaniæ,
 in qua viget
 schola Lu-
 theri.

Locus Quintus. i. Petri 3.

Cum appareretur arca, in qua pauca, id est, octo anima, seruatæ sunt per a-
 quam, cui nunc correspondens exemplar baptismi nos quoque seruat, non carnis
 deposito sordium, sed conscientia bona interrogatio in Deum per resurrectionem
 Iesu Christi.

Sophisma Turriani.

Baptismus debet esse similis formæ cum arca, sic enim ἀνάτορον vetus in-
 terpres reddidit. Arca autem Noë fuit figura Ecclesiæ Catholicæ, nam vt arca
 diuersas habuit mansiones, quas LXX. interpretes nidos vocarunt, sic singula
 ecclesiæ velut nidi sunt, in ipsa illa Ecclesia Catholica constructi; vt igitur erant
 in arca filij Noë, ac quisq; eorum caput vxoris suæ, & rursus horum qui capita
 erant, caput erat pater Noë, qui eos procreauerat; ac loca eis cum earum vxori-
 bus in arca assignauerat, sic singulas Ecclesias episcopi tenent, qui earum capita
 sunt, & horum caput est in successoribus suis Petrus, Euangelicus Noë; vt vetus
 Noë caput erat filiorum, qui vxores quoq; habebant. Petro autem Episcopi Ra-
 mani in eadem arca mystica, id est, in ecclesia, perpetua serie successerunt.

Solutio superioris sophermatis.

CAPVT PRIMVM.



Ecce, inquit, aliud argumentum ἀλληγορῶμενον, nihilo for-
 tius superiori. iam enim confecimus, allegorias non ali-
 ter concludere, nisi quatenus ab ipsa scriptura, non tan-
 tum.

tum propositæ, sed etiam expositæ sunt. Ita est Antoni; sed ut superio-
rem allegoriam lintei, beatus Petrus interpretatus est ad Ecclesiam pertinere,
quod tu negas, & ex ea interpretatione beati Petri, tanquam principio firmis-
simo, reliqua contra Ecclesiam tuam falsi nominis induximus; sic nunc allegoriã
arca Noe, ad Ecclesiam referri, id est, Arcam Noe figuram Ecclesia fuisse Ca-
tholica, idem B. Petrus, auctore etiam Augustino teste tuo interpretatus est. ex
hoc igitur principio & fundamento, quod Petrus iecit, & tu, licet tergiverseris,
negare non potes, reliqua, quæ sequuntur, intuli. Ac primum, quia auctoritate
etiam Augustini, testis tui & mei probati, interpretatum esse Petrum hoc sym-
bolum arca Noe Ecclesiam significare, & me ab Augustino redargui dicis, quasi
ego Augustino contradixerim, videamus, virum tu mentiaris, an ego verum di-
cam. Recitemus testimoniũ Augustini, sic inquit, & illa interim seponenda sunt,
quæ obscure posita sunt, & figurarum velaminibus inuoluta; & secundum nos &
secundum illos possunt interpretari. Et paulo post, nulli nostrum dubium est, per
arcam Noe, salua rerum gestarũ fide, ut deleis peccatoribus domus iusti à pec-
catoribus liberaretur, etiam ecclesiam fuisse figuratam, quæ fortè humani in-
genij coniectura videretur, nisi hoc Petrus Apostolus in epistola sua diceret. Cur
Antoni hoc saltem nõ concessisti, quod tam aperte affirmat Augustinus Petrum
dicere, ecclesiam scilicet figuratam fuisse in arca Noe? cur inquam, nisi quia vi-
debas, si id concederes, reliqua, quæ ex eo sequebantur, esse concedenda. eam enim
esse vim connexi. Sed audiamus quid subiungat Augustinus, quod tu ad redar-
guendum me pertinere, fallaciter interpretatus es, sic enim ait, sed quod Petrus
ille ibi non dixit, si quis nostrum dicat, propterea cuncta animalium genera ibi
fuisse, quia in omnibus gentibus futura prenunciabatur ecclesia, fortasse Dona-
tistis aliud videtur, & aliter hoc interpretari velint. Non dicit hic Augustinus
dubitari posse, arcam fuisse figuram Ecclesia; hoc enim idem Augustinus affir-
mat Petrum in epistola sua dicere, ne humani, inquit, ingenij coniectura videat-
ur; sed significasse illa omnia animantium genera, congregandam esse Eccle-
siam ex omnibus gentibus. Hoc dicit fortasse, Donatistis aliter videri posse, ut
aliter eis interpretari libeat, & paulo post, neq; tamen in talibus rerum figu-
ris, quamuis non videam, quid hic aliud possit intelligi, queramus Ecclesiam,
prorsus quæ alicuius vel talis interpretationis indigent, interim seponamus; non
quia falsa sunt, quæ hoc modo de talibus, tanquam inuolucris interpretando sol-
uuntur, sed quia vel interpretem querunt, nolo in eis nostra ingenia comparen-
tur; sed aperta veritas clamet & luceat; in obturatas aures irrumpat; dissimulã-
tium oculos feriat; nemo in eis latebris querat falsa sue sententiæ locum. Omne
conatum contradicendi confundat; omnem si ontem impudentis elidat; hætenus
Augustinus. affirmat quidem Augustinus, ut antea dixi, dicere Petrum figuratã
fuisse

Recitatio
testimonij
Augustini.

fuisse Ecclesiam per arcam Noe, quod ego etiam secutus Augustinum & epistolam Petri affirmavi. Significasse verò illa omnis generis animalia, ecclesiam esse ex omnibus gentibus congregandam, ex quo necessario sequebatur, per uniuersum orbem diffundendam & propagandam esse, non est Petrus interpretatus, quamuis non videam, inquit Augustinus, quid aliud possit hic intelligi: Idcirco Augustinus, relicto interim hoc loco, ad alios locos scriptura se transtulit, in libro de unitate ecclesiae, qui ita aperte docebant ecclesiam esse ex omnibus gentibus congregandam & ubique terrarum diffundendam, ut nulla interpretatione, sicut Augustinus ait, opus esset. Hoc ergo posito, &, velis nolis, concesso, scilicet arcam fuisse figuram ecclesiae, auctore & interprete B. Petro, idque tuo et nostro teste Augustino affirmante, excutiendum mihi fuit, quae erant praecipua in illa arca, quas partes in ea figura, et similitudine teneret, dixi de Noe, de filiis, de vxoribus, de nidis affixis. In istis partibus figura interpretandis nunquam reperies dixisse me, sic Petrum interpretatum esse, sicut dixi cum Augustinus de arca, fuisse figuram ecclesiae interprete Petro, sed sic illa interpretatus sum, quia cum certum sit, arcam fuisse figuram ecclesiae visibilis, Petro auctore & interprete, non video quod aliud caput visibile intelligi possit in Noe, illius arcae, & familiae principe, nisi vnus princeps & praeses Ecclesiae Catholicae, in arca illa figurata, qui est Episcopus Romanus B. Petri successor. Cum Ecclesiam Catholicam per omnes mundi regiones & oras diffusam ex omnibus gentibus instar illius arcae, ex omnis generis animantibus constantem lustraris, hunc euangelicum Noem Primum Patrem & principem agnosci et haberi intelliges. Schismatica enim ecclesiae, non sunt tanquam mansiones illae in arca Noe, quas nidos verterunt LXX. non sunt partes ecclesiae Catholicae; multo minus hereticae. Sicut ergo Augustinus in illo ipso libro de unitate ecclesiae, de figura illa animantium omnis generis in arca, quae omnes gentes, ex quibus congreganda erat Ecclesia, significabat, quia non habebat Petrum interpretem, non video, inquit, quid aliud intelligi possit; sic ego dicam iterum, sic interpretatus sum, quia non video, quid aliud intelligi possit, praesertim cum fundamentum interpretationis meae, à beato Petro collocatum sequar. ipse enim interpretatus est figuratam fuisse Ecclesiam in arca. Si tu Antonius videbas, quid aliud, quod nunc in Ecclesia arca mystica cernatur, intelligi posset in Noe, illius arcae praeside & principe, cur non dixisti, aut dic modò, si potes, nisi forte concedis, ne B. Petro interpreti, & Augustino testi repugnare reperiaris, fuisse quidem arcam figuram ecclesiae, sed quae erant in arca à ratione figura vacasse omnia, quod nihil delirius, & à ratione alienius dici queat. Sed accedamus iam ad tuas deliras cauillationes. cum autem, inquit, Petrus in hoc loco nihil dicat de suo primatu, nihil etià de suis illis successoribus, quos semper Turrianus in ore habet, hinc fit ut planè iaceat totum hoc argumentum allegoricum. *amabo te, quid? si de primatu suo & de successoribus suis dixisset, continuo assensus esses?*

sus esses? nihil quaesivisses ad cavillandum? non puto, non magis quam Petilianus Donatista. Cum enim Aug. relicto loco epist. Petri de arca Noe, quia non est interpretatus Petrus illa omnis generis animalia significasse, esse Ecclesiam ex omnibus gentibus congregandam, quamvis idem Petrus in arca illa figuratam esse Ecclesiam diceret, seq. ad alios locos scripturae apertos, qui nulla interpretatiōe indigerent, contulisset, o Donatista, inquit, Genesim legite, per memetipsū iuravi, dicit Dominus, quia fecisti verbum hoc, & nō pepercisti filio tuo amantissimo propter me, nisi benedicens benedicam te, & implendo implebo semen tuum tanquam stellas cali, & tanquam arenam, quae secus oram maris est, & hereditate possidebit semen tuum civitates aduersariorum tuorum, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terra, quia obaudisti vocem meam. Postquam adhibuit Paulum huius seminis & benedictionis interpretem in epist. ad Galatas, & alios locos similes eiusdem benedictionis promissa in semine Abrahae, id est, in Christo, produxit, subiungit, ecce quod auditis, erit semen tuum sicut arena terra, &

Testimoniū
Augustini,
quod non
minus in
Protestātes
quam in Pe-
tilianum &
Donatistas,
in quos di-
cta est, qua-
drat.

multiplicabitur supra mare & in Aficum & in Aquilonem & Orientem, & benedicentur in te omnes tribus terra, & in semine tuo. Date mihi hanc Ecclesiam, si apud vos est, ostendite vos communicare omnibus gentibus, quas iam videmus in hoc semine benedici. Date hanc, aut furore deposito, accipite non à me, sed ab illo ipso, in quo benedicentur omnes gentes. Hae August. Quae idcirco recitavi, quod in te & tuos Protestantes non minus quadrent, quā in Petilianum & Donatistas. Tu enim Ecclesiam Protestantium defendens, paulo ante aiebas: ecclesiam Romanam nihil commune habere cum linteo illo, quod Petrus vidit, & figura erat ecclesia, ut idem B. Petrus interpretatus est, & tu etiam consteris: similiter dicturus es, nihil habere commune cum arca, siquidem arca etiam figurum fuisse Ecclesiae, idem Petrus dicit, ut August. Petrum hoc dicere etiam testatur. Itaque ais neq. vera Ecclesia Catholica nomen sibi tribuere. Si ita esse

Quō Prote-
stantes non
possunt o-
stendere se
cum Eccle-
sias omniū
gentiū com-
municare,
nō magis, q̄
Donatista.

credis, & vos esse in ecclesia Catholica putatis & contenditis, dicam cum Aug. aduersus Donatistas, ostendita communicare vos omnibus gentibus, id est, ecclesiis omnium gentium, sicut nos ostendimus Ecclesiam Romanam omnibus ecclesiis per cunctum orbem communicare. Immo verò omnes ecclesia totius orbis, quarumcunq. gentium sint, haeresim Lutheri & Ecclesias, quae eam tenent, anathematizant. Ecclesia igitur Romana ad linteam illud à Petro visum & expōsitum pertinet, & ad arcam, ecclesia Catholica, eodem interprete, figuram. Tu vero falsi nominis ecclesia, si nihil aliud esset, ut hoc fingamus, praeter hoc, quod unum praesidem Ecclesia Catholica Episcopum Romanum successorem B. Petri non agnoscit, neq. sic cum omnibus gentibus ex quibus secundū propheticas promissiones ecclesia Catholica congregata est, communicaret, immò ab eis nihil minus propter hoc, quā propter alias Lutheri haereses, anathema fieret, sicut iam inde

inde à principio facta est. Atq; vt intelligas Antoni verum esse, quod paulò ante dixi, quamuis Petrus in hoc loco de primatu suo dixisset, sicut de ecclesia dixit figuratam esse in arca Noe, non magis te assensurum esse, quid refert, virum in hoc loco, an in alio Petrus de primatu suo dixerit? Dixit in Actis Apostolorum Petrus in illa Hierosolymitana synodo, viri fratres, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis, scilicet Apostolis, elegit per os meum audire gentes verbum Euangelij & credere, dic sodes, quare non dixit, elegit per os nostrum, sed dixit elegit per os meum audire gentes verbum Euangelij & credere? Idem quarebam libro superiore, quid aliud dici potest quàm quod esse Apostolum, commune erat Petro cū reliquis Apostolis, ad quos ex aequo, quatenus Apostoli erant, pertinebat Apostolici muneris & euangelicae predicationis administratio; esse autem primum, soli Petro conueniebat. Verè enim scripsit B. Cyprianus, quem tu testem citare soles, in epist. ad Antonianum de Cornelio Episcopo Romano ritè facto, cum Fabiani, inquit, locus, id est, cum locus Petri, & gradus cathedra sacerdot. illis vacaret, quo occupato, & de Dei voluntate, atque omnium nostrum consensione firmato, quisquis iam Episcopus fieri voluerit, foris fiat necesse est, nec habeat ecclesiasticam ordinationem, qui ecclesia nō tenet veritatem. Et paulò post, & cum post primum secundus esse non possit, quisquis post vnum, quis solus esse debet, factus est etiā nō secundus ille, sed nullus est. Hactenus Cyprianus. En Antoni Episcopo Romano, qui est successor Petri, cōuenit auctore etiam Cypriano, esse primum & solum. Igitur quia hoc Petro soli conueniebat, esse scilicet primum & solum, ita vt in eo loco & gradu cathedra Pontificalis nullus esset secundus, idcirco, vt de gradu suo moneret quod vtile & necessarium esset, verè & commodè dixit, elegit per os meum in nobis, audire gentes omnes verbum Euangelij; hoc enim significat hoc loco articulus Græcus, cum ait, τὸ ἔβην, vt si diceret τὸ ἔβην. Scripsi libro superiore, cap. xxv. obseruationem Magni Basilij de articulis, ne eadem nunc repetam. Quid aliud habes tu Antoni, cur Petrus sic locutus sit? nisi vt de primatu suo admoneret ad vtilitatē & necessitatem ecclesia, præsertim in synodo, quæ sine auctoritate eius nec haberi, neq; firma esse poterat: vt tanquam primus sententiam primam diceret, quam tota synodus secuta est. Itaq; si in epistola sua Petrus de primatu suo, quod tu requirebas, non dixit, satis habere dixisse in synodo illa, aut expone tu, quomodo elegit eum Deus, vt omnes gentes audirent per os eius verbum Euangelij. aut si elegit Deus omnes Apostolos ad hoc ipsum in eodem gradu, cur non dixit, vos scitis quid elegit Deus in nobis per os nostrum audire & c. quia ergo primus est, & in primatu solus, super quem ecclesia edificata est, & qui ecclesia Catholica præest, & omnibus episcopis eius, idcirco qui ceteros omnes alios episcopos tanquam vicarios illius primi prædicare euangelium audiūt, illum primum audiunt, & per eos ille

municare, idcirco ad linteum B. Petro ostensum, & ad arcam Noe pertinet, nō autem Ecclesia Protestantium.

Quare B Petrus in Act. apost. dixit, elegit per os meum audire gentes verbum Euangelij & credere, & non dixit, per os nostrum, cū tamen nomine omnium apostolorum loqueretur.

primus predicat, licet hoc ipsum etiam per seipsum, cum expedit, faciat, & facere debeat. ita fit, ut hoc, quod Petrus dixit electum se esse à Deo inter apostolos, ut per os eius omnes gentes verbum Euangelij audirent, nisi primo & soli, nemini conuenire potuerit.

CAPVT II.



Ed videamus quomodo Antonius conatus sit refellere, quod ego auctoritatem B. Petri & Augustinum, qui sic intellexit, & aliorum secutus, dixi, arcam Noe fuisse typum ecclesie, ut iam non me, sed Petrum tenet. Primum, inquit, si præscriptis verbis agendum est, nego illic Ecclesiam cum arca Noe comparari, neque satis constat tibi Turrianus, cum ait baptismum esse similis formæ cum arca, sic enim non Ecclesiam, sed baptismum cum arca comparat. Immo ego mihi consto Antoni, & te constat falli, & fallere alios. cur enim non fideliter recitasti, quæ ego scripsi, & sæpius repetiui, nisi quia fallere, & fallendo tergiversari maluisti? mea verba hæc sunt: Postquam dixi in arca illa Noe delineatam & adumbratam fuisse Ecclesiam, interprete B. Petro, subiunxi, ait itaque Apostolorum princeps in qua, id est, arca, pauca scilicet octo animæ saluæ factæ sunt per aquam, quod & nunc similis formæ saluos facit baptismum. Vbi autem saluos faciat baptismum, si à Protestantibus queramus, planè respōdebunt, in Ecclesia; siquidem extra Ecclesiam non est salus: ut iam aqua in Ecclesia similis formæ sit, cum arca illa Noe, quæ per aquam saluas fecit octo animas. Quid à me clarius & luculentius dici potuit? non dixi baptismum esse similis formæ cum arca, sed aquam baptismi, siue baptismum cum Ecclesia. Ego baptismum cum Ecclesia coniunxi, tur tu separasti? sic enim au. recitabo iterum: Neque satis sibi constat Turrianus, cum ait baptismum esse similis formæ cum arca, sic enim non Ecclesiam, sed baptismum cum arca comparat. Quæro iterum, cur quæ ego coniunxi, diuisis? Ego baptismum in Ecclesia comparauit cum arca, auctore & interprete huius symboli & figuræ Petro, cur tu dicis de me, cum aio, baptismum esse similis formæ cum arca, sic enim non Ecclesiam, sed baptismum cum arca comparat. Iam ne vides, constare te falli & fallere, quod antea dixi? Qui enim baptismum in Ecclesia dicit Antoni, ut me iam dixisse vides, neque baptismum ab Ecclesia, nec ecclesiam à baptismo seiungit: immo neg. potest seiungere, quatenus mater Ecclesia est, quæ regenerat, ut libro superiore, auctoritate scripturæ sanctæ, testimonio Methodij Martyris docui, ne eadem repetam. Pergis deinde dicere, certè postquam Petrus dixit, octo animas in arca Noe fuisse per aquam seruatas, tum subiicit, cui *ἀντίτυπος* baptismus nos seruat, ita cum Ecclesia ne nominetur quidem, & Petrus non de Ecclesia tractet, sed de baptismo, vereor, ut possit ἀποδεικνύσθαι ex hoc loco probari,

Quo Antonius non recitat fideliter, quæ vult refellere, ut errer ipse, & alios in errorem mittat.

probari, ecclesiā esse ἀντίτυπον arcæ Noe. Benè habet q̄ saltem nō vsque-
 quaq; negas, sed vereri te dicis, vt possit ἀποδεικτικῶς probari ex hoc loco, Ec-
 clesiā esse ἀντίτυπον arcæ. Tu, tu audacior es Augustino, quod mihi falsò obie-
 cisti, quod enim Augustinus nō est ausus dubitare, quin diceret Petrus in hoc loco
 ecclesiam fuisse per arcam Noe figuratam, tu audes vereri, id est, dubitare, sci-
 licet mouet te, quod ecclesia, inquis, ne nominetur quidem hic à Petro, sed ba-
 ptismus, nec aduertisti, cum baptismum ἀντίτυπον arcæ dixit saluare, necesse
 esse, vt Ecclesiā comprehenderit, licet non nominauerit. Quis tam hebes & tar-
 dius cogitari poterat, qui hoc non intelligeret, & dictum esse putaret? nisi tu qui
 tantopere laboras & sudas, ne arcæ Noe figura Ecclesia fuerit & sit; ne à te re-
 quiratur alter Noe in Ecclesia Catholica, imago & vicarius illius veri & cele-
 stis Noe, in quo vera requies nostra iuxta interpretationem vocabuli Hebraici
 collocata est; & quia in ecclesiis Protestantium, vnum Patrem Noe spiritualem,
 cum filijs et eorum vxoribus spiritualibus ostendere non potes. Probas præterea
 baptismū nō esse ἀντίτυπον arcæ, quod q̄ ad τὴν κιβωτὸν referri non potest. nō
 dissimulabo hic, quā audacter & imperitè Græca emendare voluisti. quod enim
 erat ὁ μεταστροφῆς, vt ἀντίτυπον construeretur cū casu dandi, cū tamen non cū
 casu dandi, sed cum gen. construat. itaq; si corrigere volebas, ὁ dicendū erat,
 sed legendū est, vt est in vetustis, & in ijs, quæ feruntur, exemplaribus ὁ, vt refera-
 tur ἐς τὸ ὕδωρ, & intelligatur καθ' ὃ δὲ κλονοῦν τὸ ὕδωρ, κατ' ἕλκεσιν. sicut enim
 aqua illa eos, qui increduli fuerant, suffocauit, & sordes corporis abluebat, sic
 aqua baptismi demones, qui non obedierunt, suffocat, & sordes anima abluunt
 vsq; ad arcam Ecclesia accedunt. Sic veteres interpretes Græci interpretati
 sunt, describam Græca, quibus delectaris, ὅτι τὸ ὕδωρ ἐκβαίνει τὸ βάπτισμα ὁ-
 μῶν ὑπερνιόσεται, ἐπεὶ καὶ τὸ εὐαγγέλιον τοὺς ἀπειθήντας δαίμονας, καὶ
 τὸ εὐαγγέλιον τοὺς πεισσοῦς προσέλυτας τῆς κιβωτῆς τῆς ἐκκλησίας. Similiter veterem
 interpretationem Latinam corrigere voluisti, simili audacia & inscitia, cum
 ἀντίτυπον correspondens exemplar vertisti, cum multo melius, & aptius &
 apertius esset, similis formæ. Sic etiam dum noua licet deteriora queris & ve-
 tera alioqui meliora tibi sordent, paulò antea in linteo illo ἀρχαῖς maluisti in-
 terpretari extrema, quam dicere, vt est in vetere interpretatione multo me-
 lius, initia. Augustinus lineas legit, puto legisse eum in aliquo exemplari Gra-
 σο γράμματος pro ἀρχαῖς, sed tu in nullo legisti ἑσχατὰ. Restat, vt tu, aut alius
 ad exemplum tuum interpretetur, in extremo creauit Deus calum & ter-
 ram, & in extremo erat verbum, quia vtrouque est etiam ἀρχὴ. Sed
 vitinam tua νεοφανία in verbis tantum consisteret, & haberet, ac non
 in sententiis dogmatum manaret, & ex illis fieret, quas Apostolus βεβή-
 λους νεοφανίας in epistola ad Timotheum vocat, & vitare præcipit.

Quare Anto-
 nis laboret,
 & sudet, ne
 arcæ Noe fi-
 gura Eccle-
 siæ fuerit.

Quò Anto-
 nius emen-
 dare Græcæ
 locum epist.
 b. Petri au-
 sus est, quia
 ignorauit
 constructio-
 nē nominis
 ἀντίτυπον.

Quò etiam
 simili impe-
 ritia ausus
 est Antonius
 Latina emē-
 dare in ve-
 tere transla-
 tione epist.
 Petri.

Quam etiā
 ineptè ausus
 est in Actis
 Apost. corri-
 gere veterē
 translatio-
 nem.

Prosequamur tuas cauillationes ineptissimas; quia aiebam baptismum esse in ecclesia & ἄντρον τῆς ἀρχῆς, quod paulo ante non agnoscebas, cum faciebas me separare baptismum ab ecclesia, & non ecclesiam, sed baptismum cum arca comparare, quod iam redargui, & mendacium tuum conuicti; nunc tu parum tui memor, agnoscens me baptismum ecclesia cum arca Noe comparare, vt hoc refellas, ais, tu verò (me dicis) longè scilicet Augustino audacior, sic contendis, baptismus est in ecclesia inquis, certè, sed si ita syllogismum institueres, baptismus est ἄντρον τῆς ἀρχῆς Noe, vt ait Petrus, baptismus autem est in Ecclesia, ergo Ecclesia est ipseus arca Noe ἄντρον.

Quò baptismus in Ecclesia similis formæ cum arca Noe sit.

Quò neque baptismus sine Ecclesia, nec Ecclesia sine baptismo, et arca Noe comparatur.

Quò non solum Petrus, sed Paulus interpretatus est arcam Noe fuisse typum & figuram Ecclesie.

te profecto vel tota Iesuitarum schola exhibilaret. Immo te profecto potius omnis schola sic quod aliter non potes, mentiendo & cauillando refutantem, sibilis & cachinnis explodet. Semper dixi baptismum in Ecclesia esse similis formæ cum arca. cum enim Baptismus quis saluum facit, similis forma sit cum arca Noe, vt ait Petrus, saluos autem facit baptismus in Ecclesia, sequitur necessario, baptismum in Ecclesia similis formæ esse cum arca per aquam animas seruante, ita vt sicut arca per aquam saluas fecit illas octo animas, sic Ecclesia faciat saluos per baptismum aquæ, siue baptismus aqua in Ecclesia; idem enim re sunt baptismus cum Ecclesia & Ecclesia cum baptismo. Itaque neque baptismus comparatur cum arca sine Ecclesia, vt tu paulo ante singebas; nec Ecclesia sine baptismo; sicut nec aqua, per quam salua facta sunt octo animæ, sine arca fuit, nec arca, in qua vehebantur illa animæ salua facta, sine aqua fuit. Sic B. Cyrillus libro 2. τὸ γλαφυρῶν in Genesim. sit enim inscripsit commentarios illos suos, misericordia, inquit, motus Deus, Ecclesiam velut arcam quandam fabricauit, in quam Ecclesiam qui crederent, ceteris deletis, ipsi soli interitum effugerent. Sic Paulus mysterium hoc arca interpretatur, Noe, inquit, responso accepto, per fidem arcam fabricauit in salutem domus suæ, in qua vt Petrus ait, patre, id est, octo animæ salua facta sunt, per aquam, cui scilicet aqua cum arca similis formæ baptismus nunc saluos facit, non secundum depositionem sordium carnis, sed secundum conscientia bonæ interrogationem. & paulo post, ergo in Ecclesia tāquam in arca salutis vecli, & per fidem electi, & per aquam mortem euadimus. En Antoni, quemadmodum non solum Petrus, sed Paulus etiam auctore Cyrillo, interpretatus est arcam Noe typum Ecclesie fuisse, cum dixit responso accepto, per fidem fabricauit arcam in salutem domus suæ; fidem igitur habuit Noe ecclesia futura, in qua salus per Christum futura erat, & in eam ecclesiam per spiritum fidei intueus, fabricauit arcam in salutem domus suæ, nisi ita esset, Paulus eundem spiritum fidei habens, non interpretaretur hic, auctore Cyrillo, mysterium arca: sicut etiam Petrus, licet alijs verbis interpretatus est, sicut diximus: sed resellamus deinceps aliam rationem fallacem, & fidei Catholica

tholica contrariam, qua conaris probare adhuc, arcam Noe non fuisse figuram Ecclesie, vt nos auctoritate Petri demonstramus. Petrus enim, inquit, ἀντί-
 ρωτον liberationis statuit in baptismo, nō in eo quidē visibili & ex-
 teriori, sed in spiritali ἐνεργείᾳ. & in eius effectis, vt patet ex his Pe-
 tri verbis, non carnis depositio sordium, &c. tu verò ἀντίρωτον ar-
 cæ ponis in Ecclesia visibili, & in eius Episcopis, & sic longissimo
 interuallo à Petri sententia dissides. Corrigamus qua dicis & supplea-
 mus. sunt enim partim curta & manca, partim male intellecta. Petrus statuit
 ἀντίρωτον liberationis in Ecclesia baptismo, hanc tu nō nominas, quia eam fu-
 gis, qua cum baptismo saluante necessariò connexa est, quia, vt ante dixi, & li-
 bro priore testimonijs sanctæ scripturæ docui, Ecclesia est, qua per baptismum
 regenerat, siue fidelis, siue infidelis sit, qui in forma Ecclesie à sanctis Apostolis
 tradita baptizatur. Deinde baptismus sacramentum est ex aqua visibili, & ex
 operatione inuisibili constans, sicut Dominus Nicodemo dixit, nisi quis renatus
 fuerit ex aqua & spiritu sancto, &c. & Apostolus in epistola ad Cor. Hac, in-
 quit, aliquādo fuitis (de peccatis, qua sunt sordes animæ, loquebatur) sed abluti
 estis, sed sanctificati estis, hac addidit vt intelligeremus aquam visibilem & cor-
 poralem sacri baptismi per operationem spiritus sancti in animam penetrare ad
 emundationem peccatorum & sanctificationem animarum. Clarius adhuc idē
 Apost. in epistola ad Heb. cap. 10. loquens de baptismo, abluti inquit corpus aqua
 munda, & aspersi corda à conscientia mala. Non separauit Apostolus alterum
 ab altero, vt tu facis, qui spiritualem energiam, qua est operatio spiritus S. per
 aquam visibilem sacri baptismi, à baptismo exteriori & visibili, id est, ab aqua
 visibili & corporali baptismi separas, sed potius alterum cum altero Aposto-
 lus coniunxit; vbi quam aspersionem cordis à conscientia mala vocauit, Petrus
 in epistola sua vocat conscientia bona interrogationem. Statui itaq; Petrus ἀν-
 τίρωτον liberationis in baptismo, non in eo quidem visibili & exteriori solum
 (hoc tu addere debuisti, & sic intelligere, ne errares) sed simul in spiritali ἐνε-
 ρείᾳ & in eius effectis. Illud verò quod sequitur, non carnis depositio sordium,
 non eo pertinet, vt non intelligatur necessaria aqua visibilis & corporalis, non
 hoc significat, quod tu cum hæreticis sentire videris, sed quod abluere sordes car-
 nis, quod facit aqua communis, qua vtimur, qualis erat illa, per quam seruauit
 arca Noe, non saluat, sed abluere, & deponere sordes cōscientiæ, hoc saluat, hoc
 autem non facit aqua visibilis communis, sed aqua visibilis sacri baptismi. Hac
 enim non solum corpus aspergitur, hoc enim non sufficeret, immò neg. prodesset,
 sed operante spiritu sancto etiā aspergitur cor & emundatur à conscientia ma-
 la, sicut Apostolus ad Hebr. scripsit. Hanc aspersionem cordis à conscientia ma-
 la, vt paulò antè dixi, vocat Petrus conscientia bona interrogationem in Deum:

Quō Ante-
 nius contra
 scripturam
 nō coniun-
 git spiritua-
 lem opera-
 tionem ba-
 ptismi cum
 aqua sen-
 sibili, &
 exteriore
 baptisimi,
 sed sciūgit.

Quō quam
 Petrus vo-
 cauit con-
 scientiæ bo-
 næ interro-
 gationē in
 baptismo,
 Paulus vo-
 cauit cordis
 aspersionē
 à conscientia
 mala.

per

Quomodo
explicata sit
conscien-
tia bonæ in-
terrogatio
in Concilio
primo Car-
thaginensi.

Quo quod
Petrus ait,
non carnis
depositio
fordiū, du-
pliciter in-
telligi po-
test, & vtro
modo me-
lius.

per resurrectionem Iesu Christi à mortuis: hanc interrogationem cōscientia bona, quæ in baptismo fit, magis explicauit synodus prima Carthaginensis C. 1. descendentem, inquit, in aquam, & interrogatum in trinitate, secundum euāgelij fidem & Apostolicam doctrinā & confessum bonā conscientiam in Deum de resurrectione Christi Iesu, nō licet iterum interrogare in eadem fide, & in aquam iterum intingi. Illud etiam admonere volo, ne mihi obliuionem, vt soles, falsis obijcias, aliter alias me interpretatum esse, quod Petrus hic dixit, non carnis depositio sordium, interpretatus enim sum in explicationibus Clementis Rom. cum verbum ἀρνίον explicō, de circumcisione, & fortasse melius congruit locus cum loco epistolæ ad Colos. de circumcisione non manu facta in expoliatione carnis, quam expoliationem carnis, vocat Petrus hic depositionem carnis sordium, id est, carnis sordida, sic vocauit praputium. rationem & auctores, quos secutus sum, leges, si voles, in explicationibus, quas dixi.

CAPVT III.

Quo Grego-
rius Nazia-
nus ab Antonio
citatus arcā
Noe Eccle-
siaz figuram
fuisse intel-
lexit.

” **E**rgit Antonius. Quāto, inquit, melius Nazianzenus, qui cor-
” ruptelas Episcoporum describens, se arcam Noe quære-
” re exclamauit. audiamus exclamationem, quam vocas; Noe, in-
quit Nazianzenus, arcam quero, vt grauem mortem euitem, Ec-
clesiam se dicit querere, in qua mortem fugiat; aut dic tu, quam aliam arcam
quesuisse putas? Iudicauit igitur arcam Noe fuisse figurā ecclesiaz, quod tu con-
tra testem tuum negas, alioqui non vocasset arcam; arcam enim mysticam intel-
lexit. Ecclesia autem non perit propter malos quosdam Episcopos, vt tu cum he-
reticis sentire videris; quin potius vbiq; Episcopus non hereticus neque schif-
maticus, siue multos siue paucos in nomine Domini congregat, ibi est Ecclesia; &
in medio eorum est Christus, sicut ipse in Euangelio dicit, & in eiusmodi Eccle-
sia, qui vult saluus esse potest. Estq; ea Ecclesia ἀρνίον arca, quia sicut arca
per aquā seruauit illas animas, sic Ecclesia ista saluat per baptismum obediens
fidei. Itaq; non dicit Nazianzenus ecclesiam, qua tales Episcopos habeat, qua-
les Ecclesia illius temporis Constantinopolitana habuit aliquos, non esse cum ba-
ptismo ἀρνίον arca Noe, sed sic ait de illis prauis & flagitiosis Episcopis, te-
stor me neq; sedis, nec operis, neq; consilij, neq; nauigationis, neq; itineris vllius
societatem cum illis initurum: qua via illi cœperunt, pergant sanè si volent. Ego
autem Noe arcam quero, vt grauem mortem euitem: qua perinde sunt, ac si di-
ceret, quāuis in vna ecclesia simus, in qua sunt prauis ac probi, sicut in arca erant
mūda & immunda animalia, ego tamen cum eis non habeo vitæ societate. Pe-
reant ipsi in Ecclesia, si eis ita libet, ego in Ecclesia saluus esse volo, hoc est qua-
rere Noe arcam. qui enim in Ecclesia, quia malè vixit, non fit saluus, non fuit
illā

illi Ecclesia arca Noe. Similiter dictum est Lo: h ab Angelo, saluans salua temet-
 ipsum, ne cum illis pereas. Satis iam intelligis, credo, si quid ingenij habes, in te
 potius Nazianzenum citatū esse, cum quid diceret, nō intellexisti. Pergis dein-
 de cauillari in alijs meis, quae malo meis verbis integrè repetere, quam tuis in-
 choate recitare. Scripsi c. s. prioris libri mei: Quare vbi baptisma est, & caput
 familia, qui est Episcopus Dei sacerdos, vt sacerdos Dei erat Noe, ibi est Eccle-
 sia, quae est domus Dei, tāquam altera arca Noe, in qua requiescitur à diluui-
 o, & à laboribus peccatorum, quia ibi datur venia per eum, cui primo data est po-
 testas ligandi & soluendi, requiem enim significat Noe. Hinc sit Andrea, vt cum
 tui Protestantes baptisma similis formae cum arca non habeant, consequens ne-
 cessario sit, vt nec ecclesiam habeant. Etenim si baptisma similis forma cum arca
 haberent, vnum quoq; haberent principium & caput, qui eis vnà cum ceteris
 omnibus, qui per vniuersum mundum ad familiam, siue Ecclesiam Domini per-
 tinent, praesent. Hac erant à te refellenda, si refellere poteras. Quid verò ad
 hac, & quomodo responderis, statim videbimus: repetam prius quae huc perti-
 nent, quae tu etiam mutile, & mancè recitasti. Scripsi proximè post superiora: e-
 rant itaq; in arca Noe filij Noe, ac quisq; eorum caput vxoris suae, & rursus ho-
 rum, qui capita erant, caput erat pater Noe, qui eos procreauerat, ac loca eis,
 cum eorum vxoribus in arca assignauerat, sic singulas Ecclesias, quae partes, vt
 dixi, vnius ecclesiae Catholicae sunt, Episcopi tenent, qui earū capita sunt, & horū
 caput est in successoribus suis Petrus euangelicus Noe, vt vetus Noe caput erat
 filiorum, qui vxores quoq; habebant. Quod si à Protestantibus queramus, virum
 habeant ecclesias, q̄ sint Ecclesiae Catholicae partes, ac veluti nidi in arca illa af-
 fixi, haud dubiū, quin resposuri sint, habere se tales ecclesias: si verò rursus peti-
 mus, vt earū capita ostendat, continuo proferent suos Superintendentes. Quod si
 adhuc rursus interrogemus, quod nā caput habeat isti Superintendentes in terra?
 nullum respondebunt, ex qua resposio sine necessario nos concludimus, nō esse eos fi-
 lios Noe in spiritu, nec ad arcā eius mysticā pertinere, id est, non pertinere eos ad
 ecclesiam Catholicā, quia Petrū nouum Noe caput esse nō agnoscunt. Non n. satis
 est baptismū verū habere, vt quidē Protestantes habent, neq; verū vsum aliorum
 sacramentorū, vt habere eos interim fingamus, tamen si reuera nullū sacramentū
 prater baptismū et matrimoniū habent, quia episcopis carent, q̄ ministros verbi
 et sacramentorū ordināt. sed necesse est secundū scripturā, vt baptisma habeant
 similis formae cū arca Noe, vt Petrus ait, i. baptisma in ecclesia, qui n. baptisma
 in ecclesia retinet, is ad arcā mysticā salutis pertinet: qui verò nō retinet, non per-
 tinet. Hac & superiora à me recitata, his paucis verbis tuis, videris tibi satis cō-
 plexus, cum ais. Quis aut̄ risum teneat (hoc est prooemium tuae recitationis)
 qui te ita differētem audiuerit? Quemadmodū (inquis) Noe fuit ca-

Quo Anto-
 pius contra
 se Gregoriū
 Nazia. testē
 citauerit.

Quo Anto-
 nis diffimu-
 lauerit, quia
 refellere nō
 potuit, & q̄
 mutile, &
 mancè reci-
 tauit.

Quo Cōfessio:
 ista nō
 habent bap-
 tismum si-
 milis formae
 cum arca
 Noe, nec ad
 arcā mysti-
 cam salutis
 pertinent.

D

put

» put suorū liberorū, ita & Petrus & eius successor est visibile caput
 » ecclesie. Quin etiam addis, tres filios Noe repræsentasse particulare
 » Ecclesias, quarum Episcopi sunt capita. Deinde, vt illa mea omnia
 » vno verbo diluere, acutum sanè, inquis, disputandi genus & planè

Qualis sit
 Antonij
 Dialectica.

» ἀποδεικτικόν. Immo acutum sanè, inquam ego, hoc tuum Antoni resellendi ge-
 nus & planè ἀντιπροτικόν. Quid hic opponis? quomodo antecedens sustulisti
 quomodo probasti non esse concedendum, ne si concessisses, ratio connexi cogeret,
 consequens concedere? viderint tui Dialectici. Addis postea, verum enim ue-
 rò, vnum omisisti Turriane, quod valde ad rem tuam facere vide-
 » batur, nempe Romanam Ecclesiam, quā ex tua similitudine vxor
 » Noe repræsentauit, velle cæteras omnes supereminere, quemad-
 » modum vxor Noe inter suas nurus excellebat: quod si ita est, non
 » satis rectè dicitis in vestris decretis Ecclesiam Romanam esse ma-
 » trem reliquarum Ecclesiarum dist. ca. 2. cum eam Ecclesiam no-
 » uercam dicere debeatis. Mirer, nisi tuos pudet hac legere tam putida &
 » insulsa, & futilia; me certè pudet ad ea respondere, præsertim cum nihil penitus
 » ad rem faciant. Simile est quod sequitur, sed ad illud respondebo, quia in eo me
 » immemorem mei esse dicit. Sic ergo ais, quam obrem cum nobis contu-
 » meliosè obijcis, nos esse proteruo illi filio similes, qui Patrem Noa-
 » chum ludibrio habuit, satis indicas te non esse tui memorem, qui
 » tres filios Noachi cum Episcopis tuis comparasti. Immo tu non es me-

Quo Anto-
 nius non sit
 sui memor,
 qui alteri
 obliuionē
 obijcit.
 Archiepisco-
 pos cū Epi-
 scopis con-
 ferri, vt fra-
 tres maio-
 res cum mi-
 noribus.

» mor tui, qui neq; tempora, neq; loca, neq; res, quæ in temporibus, et locis sunt, di-
 » stinguis; quasi verò in vno & eodē loco, et vno atq; eodē tempore, eundē fecerim
 » figurā Episcopi esse, & nunciare duobus fratribus suis, nudata esse verenda patris
 » sui, sicut scriptum est, & quidem post egressum ex arca contigit. Accusas præter-
 » ea in mea arca Noe allegoria, quod Archiepiscopis & Patriarchis nullum in ar-
 » calocum dederim. Hic etiam inscitiam tuam produs, qui ignoras comparari Ar-
 » chiepiscopos cum episcopis, tanquam fratres maiores cum minoribus, vt erant fr-
 » lij Noe maiores alius alio; idem enim ordo est, licet non idem gradus dignitatis.
 » Patriarcha in vno patre patrum Noe tanquam in figura continebantur, sed in-
 » primis Patriarcha Patriarcharum Petrus Euangelicus Noe, sicut in filiis tanquā
 » in figura Episcoporum continebantur presbyteri, & diaconi, & reliqui ordines.
 » Episcopus enim presbyter est & diaconus & reliquos ordines in se continet. Car-
 » dinales aut Episcopi sunt, aut presbyteri solum, aut diaconi. Non enim ordine,
 » sed gradu, & dignitate separantur. Hi sunt Pontificis consiliarij & adiutores,
 » qui auctoritate Pontificum Pontificem in locum demortui, assentiente Clero &
 » populo Romano, eligunt. Sed imperite & absurda morositas est, ita omnia in
 » allegoricis figuris exigere, vt nihil relinquatur in re, nō prius lineamenti allego-
 » ricis

Imperita, &
 absurda mo-
 rostas in fi-
 guris alle-
 goricis si-
 mili-
 ter exigen-
 dis.

ricis adumbratum; vt si quis in pictura nihil patiatuſe abditum, nec opacum, ſed potius omnia expreſſa & colluſtrata requirat. Mirer, ſi à me non etiam exi-
 giſ in capite Noe vmbra bicornis mitra, quam dicis, vt mihi imaginem Pon-
 tificis geſiſſe Noe neges, niſi Noe mitratum fuiſſe oſtendero; neque claues regni
 calorū habere Pontificem concedas, niſi claues arca in manu Noe fuiſſe pro-
 beb; ſicut non concedis, creari nunc Pontificem à Cardinalibus, qui, neſcio, in-
 quis, qua ratione, hoc, (niſi ſuccurram) poſſit vnquam Noachi filijs
 conuenire. Nam eos à patre Noacho progenitos quidem legimus, &
 at patrem fuiſſe, vnquam à liberis progenitum, inauditum eſt. ſuc-
 curram Antoni, ne absurdum, quod tu putas, ſequatur. videris non legiſſe, aut
 certè non meminiſſe, aut quod ſuper eſt, cum legeres, non intellexiſſe, quod ſcri-
 ptum eſt in Pſalmo 44. de Apoſtoliſ, pro patribus tuis nati ſunt tibi filij: cōſtitues
 eos ſuper omnem terram: promiſit propheta futurum eſſe, vt qui eſſent filij Iu-
 daorum, fierent patres eorum Iudaorum, à quibus progeniti eſſent, quod ad exi-
 tum perductum eſt in Apoſtoliſ ſanctiſ, qui per Euangelium genuerunt patres
 ſuos, ſicut Paulus de Cor. ſcripſit, Nam ſi decem milia pedagogorum in Chri-
 ſto habeatis, ſed non multos patres. Nam in Chriſto Ieſu per Euangelium ego
 vos genui. ſi hoc non eſt absurdum, quomodo erit absurdū, à figuratiſ in filijs Noe
 ſecundum carnem progenitiſ, creari patrem eorum ſpiritualem figuratum in
 Noe. Sequitur alia cauillatio nō minus ridicula, etſi tibi grauis, credo, viſa eſt.
 Quid etiā facies, inquis, Iuſtino Martyri vetuſtiſſimo auctori, qui
 locum hunc Petri explicās in Tryphonem, docet Chriſtum fuiſſe
 reſentatum in Noacho, eo quod Chriſtus fuit principium alte-
 rius generis regenerati ab ipſo per aquam: rectè quidem Iuſtinus, loqui-
 tur enim de eo, qui verius & principalius reſentatus eſt, qui eſt Chriſtus verus
 Noe, id eſt, vera requies, qui eſt caput Eccleſiæ inuiſibile & archetypum, ego de
 viſibili reſentato loquor, qui eſt non res ipſa, ſed imago rei, in vetere figura
 adumbrata. Hac enim Apoſtolus diſtinxit, in epiſtola ad Heb. cum ait, vmbra
 habebat lex futurorum bonorum, nō ipſam imaginem rerum, vt nos poſtea ſcri-
 pturam, & ſanctos Patres ſecuti, in hoc libro, loco proprio copioſe docebimus.
 Itaq, Noe principalius Chriſtum reſentauit: ſed propinquius Principem ec-
 cleſiæ, qui eſt imago Chriſti veri, & aeterni principis & Epicoſci animarum no-
 ſtraru. Hic enim tanq̄ res ipſa archetypū eſt vicarij ſui, qui eſt imago archetypi
 ac rei ipſius. Lege etiā qua de antiquo nuper ſcripſimus in libris Clementis Rom.
 vt hac, qua hic ſtrictim attingimus, intelligas, & diſcas, qua ignoras. Obijcū de-
 inde. Quid? quod ſi arca fuit typus Eccleſiæ, neceſſe eſt, vt Noe non
 tantum liberorum, ſed etiā ipſius arca fuerit caput, ſiquidem Pon-
 tificis Romanus eſt caput eccleſiæ vniuerſæ, quemadmodum diſpu-

Quō nun-
 quā Anto-
 nius intel-
 lexiffe vi-
 deatur il-
 lud in Pſal.
 pro patribus
 tuis nati ſunt
 tibi filij.

Quō Chri-
 ſtus repre-
 ſentatus fu-
 erit in Noe,
 & quomo-
 do Petrus,
 & quid al-
 tera repre-
 ſentatio ab
 altera diſſe-
 rat.

tas. Viderint tui Protestantes, quid hic obijcias: ego enim non video aliud, quã quod mihi videris putare. si concedam fuisse caput arca Noe, continuo sequi arcã fuisse corpus illius capitis: quo quid stultius dici potest? Ego Antoni Noe dico caput fuisse filiorũ, id est, præfuisse filijs, præfuisse arca, præfuisse animalibus mũdis & immundis, quæ in arca erant. Sic fuit caput omnium in figura Pontificis,

” qui est caput vniuersæ ecclesiæ. Dicis præterea, parum sibi constare meam

” allegoriam: nunc enim constituere me ἀντίρω των Ecclesiarum sin-

” gularum in filijs Noe & eorum vxoribus; nunc in illis nidis anima-

” lium, &c. Deliras Antoni, non intelligens quod loqueris, neq; de quibus affir-

In quo con-
sistat illa si-
militudo
formæ, quã
Petrus dicit
in baptif-
mo, & arca
Noe.

mas; ego ἀντίρω των constituo, in quo B. Petrus, & omnes sancti Patres consti-
tuerunt, in eo scilicet, quod sicut arca per aquam seruauit illas animas, sic eccle-
sia per fidem & aquam baptismi saluat. Hæc est similitudo formæ aquæ, & arca
Noe, expressa in aqua baptismi per fidem ecclesiæ. Nec enim aqua sine arca ser-
uauit; nec arca sine aqua: Sic neque baptismus sine Ecclesiâ; neque ecclesiâ sine
baptismo: ex quo fit, vt aqua illa cum arca typus fuerit aquæ baptismi cum Ec-
clesiâ, & arca illa cum aqua typus ecclesiæ cum baptismo. Satis ne intelligis, quæ
dico? Habes Petrum & Paulũ mysterij aquæ, & arcæ interpretes. veniamus ad

” calcem tuarum nugarũ. Enimuerò Turriane, inquis, cum te istã allego-

” riam tractantem video, gregalesque tuos monachos in illis arcẽ ni-

” dis includentẽ, mihi in mentem venit eiu, quod aliquando Chry-

” sostomus dicebat, ecclesiã esse arca Noe longè præstantiorẽ, quan-

” do quidem hic immunda animalia semper eadem remanserũt; at in

” ecclesiâ immundi homines mundi redduntur per euangelij prædi-

” cationẽ. postea dicis te recensere Iesuitas inter immunda anima-

Quõ Anto-
nius Chry-
sostomum
cõtra se re-
stem citaue-
rit.

lia. non recitarem ista dignate, ne quid aliud dicam, nisi quia Chrysostomum,

non intelligens quid diceres, contra te citasti te stem. Tu enim negas arcã fuisse

figurã ecclesiæ: Chrysostomus verò testis tuus affirmat, cum dicit, ecclesiã esse

præstantiorem arca Noe. comparauit enim ecclesiã cum arca tanquam corpus

cum vmbra, id est, imaginem expressam & illustrem ecclesiæ primogenitorum,

quæ est in calis, cum vetere typo obscuro. Sic enim Diouysius Areop. in Eccl. hier-

rarchia veteres typos nostrorum mysteriorũ vocat, ἀμυδρὰς εἰκόνας, id est, te-
nues & obscuras imagines. Tandem caput clausisti hæc bellissima clausula, Hæc

” sit igitur refutatio huius allegoriæ à Turriano ppositæ. cui ego ve-

” ram & perspicuam hanc allegoriam oppono. Non recito eam, quod ni-

” hil in ea penitus dicas, quod ad refellendum argumenta contra Protestantes ex

” loco Petri allegorico ab eodem exposito, ducta & confecta pertineat.

Locus Sextus Ezech. 34.

Ecce ego iudicabo inter ouem & ouem, arietem & arietem, &c.

Sophis.